

aures interiores transmittitur : Id quod & de Cuniculis observandum, qui ob nimiam timiditatem ad quemvis etiam levisimum strepitum, aurium facilitate perceptum, exhorrescere dicuntur. Pollent hoc sensu præ aliis quoque Anseres, hinc noctu latronum insidias clamore sublato facillimè detegunt; quin & Asinus si nullam aliam, facilioris tamen auditus laudem meretur, eumque obtinet ob aurium prolixitatem, quâ reliqua Animalia ferè omnia antecellit. De Vulpe constat, quod melioris organi beneficio motum aquarum sub glacie tempore hyemali percipiat, unde hæc Vulpeculæ collectio tandem prodiit : Quod strepit movetur. Quod movetur non est fixum. Quod non est fixum cedit. Ergo submergar si hæc ire pergam : quamvis, monentibus Eruditis, hominum hæc potius sit inventio, vulpis conceptum qualicumque ratione repræsentantium. Feles *Olfactu*, immò glires & mures maximè excellere deprehenduntur. Illæ enim solo odoratu mures, isti latentes gallinastanquam prædam investigant, hi denique odoribus escæ allekti muscipulis facillimo nisu intercipiuntur. De Olfactu equorum plurima tradunt Physici. Mares odoratu foeminas è longinquo dignoscere, ac has foetore extinctæ lucernæ abortiri sæpius non secus ac homines, notum est. Alcem et Boves commendat quoque sensus hujus vivacitas, cum hi in primis odoratu præsentire mutationes aëris perhibeantur. De Cervis hoc in casu recensentur sat magna. Iure tamen habetur pro fabula, quod cavernas serpentum adire & spiratunarium serpentes extrahere, extractos pedibus lacerare ac devorare dicantur; Hanc enim rem non nisi in libris visam perhibet *B. Sperlingius in Zoolog p. 218.* cum à nemine hæctenus oculis sit usurpata. Nec Pardum debilioris olfactus esse, habemus compertum. Odore vini allicitur è longin-

longin-